

pro apostatis habentur, et ut tales tractantur, et puniuntur in statutis nostris generibus cap. II. § 8. de *Apostatis*.

252. *Obligantur ad omnia, ad quae existentes in monasterio.* — Quæritur VII. Quæ sint obligationes apostatarum, et fugitivorum? Resp. Tenentur non tantum ad tria vota substantialia, sed etiam ad omnes alias constitutiones regulares sub peccato obligantes. Communis ac certa, patetque claretum ex dictis a. n. 240; tum ex eo, quod penitus nullo titulo et jure ab aliquo dictarum obligationum sint exempti; nec se ipsos inique discedendo eximere valeant. Accedit, quod alias ex iniuitate sua commodum reportarent contra l. *Itaque ff. de Furtis*. Tententur insuper sub peccato mortali sine mora redire, ita ut semper, et tandi versentur in statu peccati mortalitatis, donec redeant.

253. *De jure communi ipso facto sunt excommunicati fugiti et apostatae, si habitu dimisso fugiunt.* — Quæritur IX. Quæ sint poenæ fugitivorum, et apostatarum? præsertim an sint ipso facto excommunicati? Resp. I. Si habitu dimisso discedunt, sunt ipso facto excommunicati. Hyacint. Donatus, tom. I, tract. VI, q. 20; Abbas, in c. 2. *Ne clerici, vel monachi*, in 6. et ibi Anchranus, Joan. Andreas, cum communis aliorum, arg. c. *Ut periculosa*, 2. in 6. *Ne clerici, vel monachi*, ibi: « Ut periculosa religiosis evagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cælero aliquis professus temere habitum dimitat, etc. Si quis autem temerarius violator extiterit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto. »

254. *Secus si habitum retinent.* — Resp. III. Qui habitu retento fugiunt, aut apostatant, de jure communi antiquo, ipso facto non sunt excommunicati, *Glossa in c. 1. ¶ Apostata de Tempor. ordination.* in 6; Pelliz. tom. II, tract. VIII, cap. VIII, n. 49; Abbas, in c. fin. n. 2. *de Apostas.*; Sanchez, lib. VI, *Moral.* cap. VIII, n. 20; Roderiquez, Sylvestris, Hostiensis, cum communis: quia nullus textus dictam excommunicationem infligens allegari potest. Nec enim textus c. *Ut periculosa*, 2. *Ne clerici, vel monachi*, in 6. quem quidam in contrarium allegant, quidquam probat, utpote illos solos tangens, qui habitu dimisso discedunt, ut legenti patet. Ex quo etiam probatur, quod etsi cum habitu fugiens ipso facto non sit excommunicatus, tamen excommunicationem ipso facto tunc

incurrat, quando post discessum, habitum animo vagandi, vel apostatandi dimittit. Hyacint. Donatus, tom. I, tract. VI, q. 6. et alii.

255. *Jure speciali etiam hi sunt excommunicati.* — Resp. IV. Vi juris specialis, et specialium privilegiorum ferme cuiusvis religionis professus fugitivus, vel apostata sive habitu retento, vel dimisso, excommunicationem ipso facto incurrit. Cassarub. in *Compend.*, tit. *Fugitivus*. Hyacint. Donatus, tom. I, tract. VII, q. 25. ubi cum Cassarub. plura similia religionum privilegia, et jura, bullasque pontificias adducit, Pelliz. loc. cit. ubi pariter simile pro Societate JESU alleget, et communis.

256. *Alice pœnæ apostatarum.* — Resp. V. Præter alias pœnas de jure communi etiam sequentes incurrint apostatae. I. Quod suspiciens in apostasia ordinem sit suspensus, c. fin. *de Apostat.* II. Apostatae sunt irregulares, can. fin. dist. 50. et c. *Cum illorum de Sentent. excomm.* III. Quandiu manent in apostasia non gaudent privilegiis religionis, cui subjici nolunt, arg. *Concil. Trident.* sess. 25, *de Regular.* cap. xix, ibi: « Interim nullo privilegio sui ordinis juvetur. » IV. Illi, qui sine legitima licentia Romam pergunt, specialiter voce activa et passiva bienio privati existunt. Plura de pœnis apostatarum vide apud Sanchez, loc. cit.; Hyacint. Donatum, tom. I, tract. VI, q. 20; Roderiquez, Mirandam, tom. I, q. 51; Lezanam, Pellizar. tom. II, tract. VIII, q. 8, sect. 3. et alios.

257. *Recipientes aut occultantes fugitivum, vel apostatam, peccant graviter, et sunt excommunicati.* — Quæritur X. An, et qualiter peccent? Quibusque pœnis subjaceant recipientes, retinentes, aut occultantes apostatam, vel fugitivum? Resp. Eos peccare mortaliter, et ipso facto incurtere excommunicationem. Patet ex pluribus constitutionibus pontificiis, quas vide apud Cassarub. in *Compend. privileg.* ¶ *Apostata ab ordine*; Hyacint. Donatum, loc. cit. q. 22; Mirandam, tom. I, q. 51, a. 2, conclus. 2, ubi inter alia in favorem ordinis nostri refert constitutionem Innocentii VIII. qua statuit, et ordinavit, « ut detinentes quoscunque, minores fratres e suis conventibus sine licentia suorum prælatorum recedentes, sint ipso facto excommunicati. »

258. *Potestas religionis erga fugitivos et apostatas.* — Quæritur XI. Quæ sit potestas,

§ IX. DE TRANSEUNTIBUS AD ALIAM RELIGIONEM.

61

et obligatio religionis erga apostatas, et fugitivos? Resp. I. Religioni, ac superioribus ejus competit potestas apprehendendi, et puniendo apostatam, vel fugitivum, ubicunque etiam extra territorium eum deprehenderit, invocato quoque, si opus est, brachio sæculari, Roderiquez, tom. I, q. 30, a. 6; Miranda, tom. I, q. 51, a. 3; Pelliz., loc. cit. n. 52; Hyacint. Donatus, tom. I, tract. VI, q. 17, qui plura pro conclusione afferrunt privilegia et constitutiones pontificias. Pariter habet potestatem eosdem de novo excommunicandi, si redire nolint, textu expresso c. fin. h. t.

259. *Obligatio religionis erga apostatas et fugitivos.* — Resp. II. Superiores religionum tenentur fugitivos, et apostatas conquirere, et revocare, eosque vel sponte, vel coacte venientes recipere. Omnes, textu expresso c. fin. h. t. ibi: « Ne religiosi vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurvant, et sanguis eorum de prælatorum manibus requiratur, statuimus, ut præsidentes capitulis celebrandis secundum statutum concilii generalis, seu paëres abbates, seu priores, fugitivos suos et ejectos ex ordine suo requirant sollicite annuatim. » Et quamvis non desint docentes, hoc c. fin. h. t. consuetudine contraria fuisse abrogatum. Sanchez, lib. VI. *Moral.* cap. ix? Pirhing, h. t. n. 193. Nihilominus melius sentire videtur Fagnanus, in cit. c. fin. h. t. dicens, consuetudinem hanc esse corruptam, utpote contra jus divinum militantem; cum quivis pastor jure divino teneatur, oves pascere, et errantes pro possibili reducere. Nec tamen necesse est, nec sufficit annuatim id facere, sed toties, quoties opus est, et occasio spesque inveniendi salvis ordinis constitutionibus adest. In quo puncto ut plurimum attendendum erit ad cuiusvis religionis statuta. Nostra disponunt de eo cap. II, § 8. (ADNOTATIO X bis.)

§ IX.

DE TRANSEUNTIBUS AD ALIAM RELIGIONEM.

260. *Transire de una religione ad aliam de facto ob specialia privilegia pauci valent.* — Quamvis de transeuntibus ad aliam Religionem multa scribant doctores, præsertim Roderiquez, tom. III. *Quest. regular.* q. 52. per triginta articulos, Miranda. tom. I, q. 31, per

viginti quatuor articulos, Pelliz, tom. I. tract. III. cap. v. sect. 3; Pirhing, h. t. per totam sectionem IV. et alii; nihilominus, quia hodie fere omnes religiones, paucis exceptis, habent privilegia, vi quorum prohibetur eorum professis, ne absque speciali licentia Papæ ad aliam religionem transeant, ut bene adverbit Hyacint. Donatus, tom. I, tract. VI, q. 22, et plura hujusmodi privilegia refert, cit. t. I. tr. 5, q. 45. notaturque in statutis nostris generibus cap. II. § 1. n. 22. atque propterea receptio aliorum religiosorum dissuadetur illis verbis: « Cavendum est præterea, ne quisquam alterius religionis professus, ad nostrum ordinem recipiatur, quamvis habeat facultatem suorum superiorum, ne forte contra dispositiones apostolicas fieri contingat: cum jam fere omnes ordines privilegiis apostolicis gaudeant, ne eorum alicui ad aliam religionem transire liceat? » Hinc in materia hac in praxi amplius, vel non nisi rarissime occurrente diu nos non detinebimus, afferemus tamen ea, quæ pro substantia scitu necessaria videbuntur.

261. *Quamvis de jure communi id fieri queat.* — Quæritur I. An religiosi legitime professi possint de una religione ad aliam transire? et quæ conditions ad talēm transitum requirantur? Resp. I. Loquendo de jure communi certum est posse religiosos professos de una religione ad aliam transire, si requisitæ de jure concurrent conditions. Omnes, ob clara jura c. *Licet.* 18. h. t. *Concordat* c. 7, eod. can. 3, caus. 19, q. 3, etiam intellige de monialibus, textu expresso can. 1, caus. 20, q. 4.

262. *Ut tamen talis transitus rite fiat requiritur I. ut ex bono fine fiat.* — Resp. II. Ut autem transitus licite fiat, requiruntur sequentes conditions. I. Ut non fiat ex inconstantia, levitate, vel temeritate, vel ex ira, passione inordinata, sed ex bona sanctaque intentione ac fine, zelo v. g. majoris perfectionis, cura securius salvandi animam, desiderio evitandi pericula transgressionum in sua religione forsitan plus justo laxa, etc. arg. cit. c. *Licet.* h. t. ibi: « Ne quis ex temeritate et levitate. » Sanchez, lib. VI. *Moral.*, cap. xvii, n. 2, et amplius n. 41 et 42. ubi etiam notas ponit, ex quibus conjecturare licet professum non ex bono zelo, sed ex levitate, vel alia illegitima causa transire, v. g. si rixæ præcesserunt, si transitum minatus est, Fagnanus, in cit. c. *Licet.* h. t. n. 30. et seqq. coque teste omnes.

Quod si conjectura similis non adsit, præsumitur ex bono zelo transire, Fagnanus, loc. cit. Glossa penult. in cit. c. *Licet.* h. t. arg. c. *Dudum de Præsumpt.* Si rationabiliter dubitatur, ad superioris judicium erit recurserendum, Sanchez, loc. cit.; Fagnanus, loc. cit.; notat tamen Hyacint. Donatus, tom I, tract. V, q. 8, professum illum, qui occulto malo fine, aut levitate, etc. transit ad aliam religionem, in ea nihilominus valide profiteri, eo quod finis malus, vel illegitimus non sit contra substantiam professionis, nec ulli irritetur Professio hujusmodi ex fine indebito facta.

263. II. *Ut fiat ad religionem strictiorem.* — II. Regulariter loquendo necessario requiritur, ut fiat transitus ad ordinem strictiorem. Roderiquez, tom. III, q. 52, a. 4; Sanchez, loc. cit. n. 20; Abbas, in c. *Sane.* 10, h. t. et ibi Ancharanus, n. 6; Pirhing, eod. n. 59; Fagnanus, loc. cit.; Miranda, loc. cit. a. 3; Hyacint. Donatus, loc. cit. c. *Licet* et c. *Sane.* h. t. juncto can. 1, caus. 20, q. 4. Num autem per ordinem strictiorem intelligatur ille, qui perfectior, an vero qui durior, asperior, et arctior, ipsique sensualitati magis contrarius, ob continuum, act frequens jejunitum v. g. nuditatem, silentium, vigilias, solitudinem, mortificationes corporales, etc. licet multum disputent doctores, ut videre est apud Sanchez, loc. cit. probabilius tamen juri conformior videtur, per strictiorem intelligi duriorem, et asperiorem, non vero absolute perfectiorem. Abbas, Roderiquez, Sanchez, Ancharanus, Pirhing, loc. cit. et alii contra Mirandam, loc. cit. divum Thomam, 2. 2, q. 489, a. 6; Sylvestrum, et alios. Probaturque tum ex textu c. *Licet.* h. t. ibi: « Arctioris vitæ prætextu: » et ad finem: « Ut apud eos vitam duceret arctiorum. » et can. 1. cau. 20 q. 4. ibi: « Virgines sacræ, si lucro anime sue propter strictiorem vitam ad aliud monasterium peregre disponuerint, concedit synodus; » tum quia Extravag. Vian. h. t. conceditur mendicantibus, et aliis religiosis ad carthusianos transire; non quia horum religio est perfectior aliis (cum in perfectione supereretur a mixtis) sed quia quibusdam censetur asperior ob perpetuum jejunitum, solitudinem, silentium, etc.; tum quia vix unquam transitus fieri posset sine controversia, quavis religione contendente, se æque, vel magis esse perfectam, etsi non duriorem; tum tandem, quia transitus ab una religione ad

aliam videtur concessus ob tutiorem vitæ rationem, quæ ordinarie in majoribus asperitatibus reperitur, arg. can. 1. cau. 20. q. 4.

264. *Sive ex regula, sive ex statutis talium.* — In illo tamen convenient doctores, parum referre, an religio aliqua asperior sit ex ipsa regula, vel statutis particularibus: dummodo asperitas illa vigeat tempore transitus; enimvero licet ex regula, vel statutis religio aliqua aliis sit strictior, ad eam transire non licebit, si religiosi primum rigorem deserentes, laxum vivendi modum de præsentis tenerent, arg. c. *Sane.* 10. h. t. ibi: « Si locus, ubi nunc permanet, majoris religiosis (strictioris videlicet observantiae) quam ecclesia Aromatensis existat, » et ibi Abbas, n. 4; Joan. Andreas, n. 1; Fagnanus, loc. cit.; Sanchez, loc. cit. n. 24.

265. *A religione sancti Francisci ad nullam aliam transire licet.* — Sive autem per strictiorem ordinem intelligatur perfectior, sive rigidior et asperior, nulli ex ordine nostro Seraphico licebit ad aliam etiam carthusianorum religionem transire juxta constitutionem Julii II; tum quia, si non aliis perfectior, saltem in perfectione nulli est secunda juxta dicta n. 64. et seq.; tum quia rigidior et asperior est quavis alia, prout post sanctum Bonaventuram, et Cordobam docet et probat Miranda, tom. I, q. 31, a. 11; patetque ex cap. II. ipsius regulæ a Deo dictatae, ubi de professis dicitur: « Nullo modo (consequenter nec per transitum ad aliam religionem) licebit eis de ista religione exire. » Ratio additur: « quia secundum Evangelium nemo mittens manum ad aratum, et aspiciens retro aptus est regno Dei. » Quibus verbis manifeste insinuator, eum, qui istam deserens, aliam ingredetur, retro respicere, id est, via perfectiori et strictiori derelicta minus perfectam ad duram amplecti.

266. III. *Requiritur, ne fiat cum gravi infamia, vel detimento religionis deserenda, commune bonum prefertur privato.* — III. Requiritur, ut non fiat cum gravi jactura temporali, vel infamia primæ religionis; Fagnanus, in c. *Licet.* h. t. n. 24; Pirhing, h. t. n. 160; Abbas, in c. *Licet.* eod. n. 12. et communis aliorum, arg. cit. c. *Licet.* h. t. ibi: « Ne in jacturam, vel injuriam sui ordinis. » Ratio est, tum quia nemo debet esse lapis offensionis, et causa scandali, arg. c. II. de *Præscript.* etc. *Nisi cum pridem.* § *Pro gravi quoque scandalo, de Renunt.*; tum quia com-

munis utilitas speciali utilitati præfertur, c. *Licet.* h. t.; tum quia ad perfectiorem religionem transire est actus charitatis, arg. c. *Licet.* h. t. ibi: « Lege privata, id est, charitate, » ut exponit Glossa: non lèdere autem primam religionem transire est actus justitiae, I. *Justitia.* II. *de Justit. et jur.* atqui opera justitiae præponenda sunt actibus charitatis supererrogatoris, can. *Forte.* et can. *Denique.* cau. 14, q. 5. Hinc inferant doctores citati, docentque in cit. c. *Licet.* h. t. Ancharanus, n. 11; Innocentius, n. 1. Hostiensis n. 5. et 6. alii, quod sicut Ecclesiæ competit restitutio in integrum ob gravem læsionem in temporalibus c. I. *de Restitut.* in *integr.* sic, et multo magis eidem competat restitutio ob læsionem in spiritualibus, fama v. g. vel persona prius sibi subdita, cum gravius censeatur damnum spirituale, et personarum, quam rerum; arg. can. *Præcipimus.* cau. 12. q. 1.

267. IV. *Requiritur, ut petatur transeundi licentia.* — IV. Requiritur, ut transire volens prius a superiori petat licentiam transeundi ad aliam religionem; quamvis necessario non requiratur, ut sit obtenta, Fagnanus, loc. cit. n. 36; Sanchez, loc. cit. n. 32; Miranda, tom. I, q. 31, a. 3; Pirhing, h. t. n. 161. et communis, textus expressus habetur in cit. c. *Licet.* § *Quocirca.* h. t. ibi: « Subditus a prælato cum humilitate et puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur. » Quod autem necessarium non sit, eam esse obtentam, textus est in eod. c. *Licet.* § *Talis.* ibi: « Non obstante proterva indiscreti prælati contradictione. » Non potest tamen petita licentia statim discedere, et transire ad aliam religionem, sed debet aliquo competenti tempore exspectare responsum. Fagnanus, loc. cit. n. 47; Abbas, in c. *Licet.* h. t. n. 11. et ibi Ancharanus, n. 5; Sanchez, loc. cit. n. 34. Ratio est; quia quicunque tenetur licentiam, vel consilium petere; tenetur debito tempore exspectare responsum c. *Cum in veteri.* 52, ad finem, *de Election.*

268. *Quæ licentia, si indiscrete negatur, potest absque illa fieri transitus.* — Quod si elapsus debito tempore superior licentiam denegat, potest, et debet subditus ante transitum petere de negationis causam, quam dare si recusat superior, poterit libere discedere: sicut etiam si causam manifeste frivolam vel falsam allegat Fagnanus, loc. cit.; Joan. Andreas, in cit. c. *Licet.* h. t. n. 6. et 7. et ibidem Abbas,

n. 9. Innocentius n. 2; Pirhing, h. t. n. 161. et alii, arg. I. *Nulla differentia.* ff. *de Auctorit. et consensu tutor.* Ratio est, quia tunc, jam censetur superior indiscreta, ac proterve negare licentiam.

269. *Practica instructio circa modum petendi licentiam.* — Ut autem rite procedatur, debet superior religiosum transire volentem de causa transeundi interrogare, et tenetur subditus eam manifestare ad hoc, ut cognoscere valeat superior, au licentiam dare, vel denegare possit, aut debeat. Sanchez, loc. cit. n. 36; Joan. Andreas, in cit. c. *Licet.* h. t. n. 3. et ibi Hostiensis cum aliis. Quod si causam justam invenerit, tenetur subditus sine difficultate transeundi licentiam concedere, ne propositum divinitus inspiratum impedit videatur, » ut dicitur cit. c. *Licet.* § *Quocirca.* h. t. « Si vero probabiliter dubitet, utrum quis velit ad arciorem ordinem aut laxiorem ex charitate, an ex temeritate transire, superioris est judicium requirendum, » prout pariter statuitur: cit. c. *Licet.* § *Si vero.* h. t. Intelligitur autem per superiori ille, ad quem subditus appellaret, si gravaretur. Fagnanus, loc. cit. arg. c. *Ut debitus.* et c. *Cum speciali. de Appellation.* non ille, a quo petitur licentia, C. *Ne quis in sua causa. in Rubro et Nigro:* Porro in casu, quo dubitatur de legitima causa, non sufficit licentia petita, sed necessario debet esse obtenta, vel ab immediato superiore, vel ab eo, ad quem appellatur. Fagnanus, loc. cit. n. 32; Sanchez, loc. cit. n. 15 et 16; Abbas, in c. *Licet.* h. t. n. 3. et alii. Ratio est, quia alias non oporteret judicium superioris majoris requiri.

270. *Licentiam hanc dare quis possit?* — Qui nam autem superior, immediatus nempe seu localis, an vero mediatus; provincialis, v. g. vel generalis dare debeat licentiam, quamvis sitaliqua controversia inter doctores, communior tamen et probabilius dicit, posselientiam hanc dari etiam a superiore immediato, seu locali, Abbas, in c. *Non est.* n. 6. h. t.; Sanchez, loc. cit. n. 56; Pirhing, h. t. n. 162; Fagnanus, loc. cit. n. 16, ubi etiam docet, non requiri ad hoc consilium, multo minus consensum conventus, arg. cit. c. *Licet.* h. t. ubi præcise requiritur licentia prælati, quoniam utique etiam superior localis venit. Accedit, quod juxta omnes, etiam adversarios in casu dubiae causæ, vel injuste denegetæ licentia possit, et debeat adiri superior major; ergo supponitur, quod prius nego-

tium habuerit superior minor, seu localis. Nec obstat can. *Statuimus*. §, caus. 19, q. 3, ubi prohibetur transire «sine patris, et totius congregationis permissione.» Nam contra est quod in vetustis, et correctis codicibus particula *Et in cit. can. sit omissa, et dicatur «a Patre totius congregationis,»* ut bene post alios advertit Fagnanus, loc. cit. neque contrarium evincit, quod in fine cit. can. dicitur, «communi cautione;» quia ut idem Fagnanus advertit, ly *communi* refertur ad superiorem dimittentem, et recipientem. Limitant tamen doctores doctrinam hujus et praecedentis numeri in casu, quod aliud habent ordinis statuta, vel consuetudo, utpote quibus) lex non derogat, nisi exprimat, ut amplius dicta supra lib. I. tit. II. de *Constitut.*

271. *V. Superior sine licentia Pape ad nullam aliam transire potest.* — V. Requiritur, ut transire volens sit subditus, et non superior aliquis vel pralatus; quia talis sine expressa licentia pontificis ad aliam religionem nulla ratione transire potest. Fagnanus, in cit. c. *Licet.* h. t. n. 41; Hyacint. Donatus, tom. I, tract. V, q. 32, et Communis, textu claro c. *Licet.* §. *Si vero.* h. t. ibi: «Illa semper regula inviolabiliter observata, ut nullus absque licentia Romani pontificis praesumat occasione quacunque deserere præsulatum,» causa additur, «quoniam sicut majus bonum minori bono præponitur, ita quoque communis utilitas speciali utilitati præfertur.» VI. Requiritur, ut religio, a qua fit transitus, non habeat privilegium, vi cuius prohibetur ad aliam transire. Cujusmodi privilegiorum hodie ferme omnes, paucis exceptis habent, prout jam dictum supra.

272. *VII. Ulterius requiritur, ut prius constet, quæ religio strictior transeuntem recipere velit.* — VII. Requiritur, ut, antequam fiat transitus, et licentia ad eum concedatur, superiori constet, an aliqua, et quæ religio strictior parata sit transire volentem suscipere; prius enim discedens tractatur ut apostata, Fagnanus, loc. cit. n. 49; Abbas, in c. fin. *de Renunt.* et ibi Joan. Andreas, Innocentius, n. 2. cum communis. Estque declaratum a sacra Congregatione, cum appositione rationis illis verbis: «Ut apostatandi opportunitas regularibus præcidatur, statuit, ut de cætero nullus permittatur ad arctiorem religionem transire, nisi prius superiori legilime constituerit, eam religionem paratam esse, illum recipere, qui licentiam petuit:

tumque regularis recta se transferat ad arcuitem. Quod ut re ipsa impleatur, idem superior omni studio et diligentia invigilet.» Sunt verba decreti inter constitutiones Urbani VIII, num. 28. incipit *Sacra Congregatio*, apud Cherub. tom. IV. *Bullar.*

273. *VIII. Item, ut transiens, antequam recipiatur, exhibeat dimissorias.* — VIII. Requiritur, ut antequam in strictiori recipiatur transiens, prius exhibeat litteras dimissorias superioris prioris religionis. Fagnanus, loc. cit. n. 50; Sanchez, loc. cit. n. 39; Pirhing, h. t. n. 161, textus est in can. *Statuimus*. 3, cau. 19, q. 3, ibi: «Discedentem nullum sine communi litterarum cautione recipiat.» Hinc sine dimissoriis venientem religiosum debet superior strictioris religionis vel remittere ad superiorem priorem, ut ab eo dimissorias afferat, vel debet eumdem interrogare an licentiam dederit, vel negaverit, et quare; si causam manifeste justam alleget superior prior, debet ei illico remitti subditus: si vero dubiam, vel justam quidem, negat tamen eam subditus, debet eum ad superiorem majorem dirigere, ut coram eo prius negotium suum proponat, et finiat; nec expedit, ut eidem controversiae se immisceat superior strictioris religionis, ita doctores citati, arg. cit. c. *Licet.* h. t.

274. *Regulariter non expedit ab una religione ad aliam transire.* — Quæritur II. An expedit a religione minus stricta ad strictiorem transire, et transeuntes recipere? Resp. I. Regulariter loquendo, nec transire, nec transeuntes recipere expedit, neque utile, nec laudabile est, nisi gravis urget causa. Divus Thomas 2. 2. q. 189. a. 8; Miranda, tom. I, q. 31, a. 1; Sanchez, lib. VI. *Moral.* cap. vii, n. 1; Roderiquez, tom. III, q. 52, a. 1. ubi ad propositum longum, sed plane aureum refert sermonem divi Bernardi de *Præcept. et obedient.*; Pirhing, h. t. n. 183, et Communis aliorum. Ratio est, tum quia juxta consilium Apostoli I, Cor. vii, 20. *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat;* Tum quia, experientia teste, ita transeuntes raro in melius proficiunt; cum quivis in Instituto, cui assuevit, et quod expertus est, facilius proficiat, quam in peregrino ac insolito; tum quia ordinarie et tali transitu scandalizant illi, qui relinquuntur: et aliqua saltem infamia, et vilipensio inurit religioni, quæ deseritur, aliis suspicuntibus, disciplinam regularem in illa minus vigere, etc. Facit hoc consilium abb. Nestor.

apud Cassian. collat. 14. cap. v. ibi: «Cuique utile est, ut secundum propositum, quod elegit, summo studio ac diligentia ad operis arrepti perfectionem pervenire festinet, et nequaquam a sua, quam semel elegit, professione discedat.»

275. *Bene vero in casu extraordinario.* — Resp. II. Nihilominus quando notabilis spectatur utilitas spiritualis, vel magna urget ratio aut necessitas, bonum commune, etc. laudabile et sanctum est, a minus stricta, ad strictiorem transire religionem, nec curanda sunt murmurationes, aut querelæ religiosorum prioris religionis. Ita doctores citati cum communi, et certa aliorum, arg. c. *Licet.* 48. h. t. cum concordantiis. Et probatur exemplo ter mirabilis sancti Antonii de Padua, qui a minus stricta (cæteroquin tamem sancta) religione sancti Augustini canonorum regularium cum subsecuta maxima et ipsis, et totius Ecclesiae utilitate transiit ad strictiorem religionem nostram Seraphicam, non obstantibus fratrum relictorum querelis, et illusionibus. Neque retardare potest, aut debet illa communis objectio quod exinde aliqua infamia, consequenter et injuria religioni deserendæ oriatur; tum quia nemini facit injuriam, qui utitur jure suo; tum quia prudentes ac timentes Deum ex transitu nihil sinistri suspicantur de religione deserta, scientes ad talem transitum sufficere, quod religio deserta non sit ita stricta, etsi alias sancta.

276. *Causæ, ob quas expedit a minus stricta ad strictiorem transire.* — Porro graves causæ et rationes a minus stricta ad strictiorem transeundi sunt: *Primo*, extraordinarius zelus tendendi ad majorem perfectionem, pro qua obtinenda, efficaciora ac plura cernuntur media in strictiori religione, quam in propria: item si minora in illa, quam in ista videntur impedimenta. Omnes, arg. c. *Licet.* h. t. *Secundo*, si propria religio a primo instituto, et debita perfectione declinat: si nulla vel modica servatur disciplina regularis: si pie ac juxta Institutum vivere, et ad perfectionem tendere volentes, persecutionem patiuntur, aut irrisiōibus, vilipensionibus, aliisque modis absterrentur, aut impediuntur. Divus Thomas loc. cit.; Sanchez, loc. cit. et Communis aliorum. *Tertio*, si quis a cæteris fratribus odio habetur, male ac indigne tractatur; Sanchez, loc. cit. n. 72; Roderiquez, tom. III, q. 52, a. 9. et alii, nisi religiosus ipse ad hoc inique præbeat causam.

277. In praxi satis erit, si religiosus transire volens dicat, quod ex zelo majoris perfectionis acquirendæ transire cogitet ad aliam religionem evidenter strictiorem: si aliam quoque causam habet, v. g. defectum religionis vel religiosorum, poterit, si vult, eam quoque superiori religionis, quam deserere intendit, non item religionis, ad quam transit, manifestare, ne priorem religionem diffamat.

Agendum hic etiam foret de ædificandis monasteriis. Item de clausura monasteriorum tam religiosorum, quam monialium. Verum, quia de priori agemus infra cit. XLVIII. de *Ecclesiis ædificandis*; de clausura vero tit. de *Statu monach.* ideo hic superseedemus.

Pariter hic etiam agendum foret de reformatione Religionum. Verum quia materia reformationis ascetica potius, quam canonica est, eam iis relinquimus, qui integros tractatus de religione scribunt. Id solum cum unanimi doctorum omni, qua par est, reverentia, cunctis Religionum Superioribus, Majoribus præsertim in Capitulis generalibus et provincialibus, congregatis dictum volumus, eos gravissime obligari, ut ubi, et quando religionem, provinciam, vel conventum a primævo instituto, et regulari disciplina deficere conspiciunt, eam reformatum, seu ad pristinum decorum, et Regularem disciplinam omnibus viribus per salutares constitutiones, et convenientia reducent media. Ad quem finem præcipue pœ oculis haberi debet Bulla Clem. VIII. Nullus omnino ordine 9. in *Bullar.* Cherub. edita pro reformatione quarumcunque religionum; que Bulla de novo fuit confirmata ab Urbano VIII. in constit. 28, apud Cherub. ubi legi potest. Insigniter de reformatione religionum inter alios agit Pelliz. tom. I. tract. I. cap. v. (ADNOTATIO XI).

TITULUS XXXII.

De conversione conjugatorum.

1. *Ratio continuationis. Conversio conjugatorum quid?* — Experientia constat, etiam conjugatos subinde religionem ingredi attendere: quia vero de horum ingressu speciales sunt difficultates, hinc compilator canonum post tit. de *Regular.* speciale ponit titulum